

severantiam accepisse, ut nisi perseverantes esse non possint. » Quod dixerat Augustinus libro de correptione et gratia, capite XII.

XX. Hinc est quod S. Prosper specialiter petit ab Augustino edoceri de hac difficultate, an decretum sit ponendum ut antecedenter se habens ad præscientiam; an vero præscientia sit prior decreto, et ei decretum innitatur, ut patet in illis verbis epistolæ ejus ad Augustinum sub fine, ubi petit ab ipso sibi declarari: « In primis quomodo per istam præoperantem, et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum, utrum præscientia Dei, ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita sint accipienda præscita (propositum idem est quod decretum Dei) an per genera causarum, et species personarum ista variantur, ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur (id est, parvulis) quasi solum Dei propositum videatur existere: in his autem qui aliquid boni acturi sunt (id est, adultis) per præscientiam possit stare propositum (id est, decretum supponat scientiam antecedens omne decretum) an vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito; ut sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenierit, ita nihil sit boni quod in nostram participationem non Deo auctore defluerit. » Ecce quomodo expresse petit Prosper edoceri ab Augustino de hac ipsa difficultate, an detur scientia aliqua in Deo, quæ antecedit omne decretum seu propositum Dei, an vero detur decretum antecedens scientiam, non solum in his, quæ a solo Deo fiunt qualis est salus parvulorum, sed etiam in his, quæ per liberum arbitrium nostrum fiunt, ut

est salus adultorum, et eorum bonæ actiones; sed scientia de qua dubitatur an sit innixa decreto, id est, illud supponat, an e converso, non est scientia mere possibilium in statu possibilitatis, de hac enim dubitari non potest quod decreto non innitatur; neque est scientia absoluta futurorum, ad hanc enim requiri decretum Dei saltem concomitans non negabant Massilienses, solum enim dicebant tollendum esse decretum quod humanas præveniat voluntates, et admittendum si ponatur post præscientiam, qua Deus præsciat quid unusquisque facturus est sub adjutorio gratiæ, et in qua voluntate mansurus (quod expresse pertinet ad scientiam futuri conditionati, non rei pure possibilis) ut in verbis eorum supra relatis ostendimus, ergo quæstio Prosperi et difficultas erat circa scientiam conditionatorum, seu rerum sub statu conditionato, an de his daretur scientia innixa proposito, an e converso scientia esset ante decretum, quæ est ipsissima scientia media in terminis, quibus modo disputatur. Et præterea specialem difficultatem ponebat in istis decretis prædefinitivis, et antecedentibus scientiam mediam non circa ea, quæ Deus se solo facit, ut est salus parvulorum, sed in his quæ fiunt dependenter a libero arbitrio, in quibus solis renuunt auctores, contra quos disputamus, concedere decreta prædefinitiva, et independentia a scientia media, in aliis vero quæ Deus se solo facit illa admittunt, ut infra circa quæstionem XIX D. Thomæ dicemus, ergo tractavit S. Prosper de decretis prædefinitivis, et de scientia media sicut modo tractatur.

XXI. Ex his constat, quam originem habuerit hæc scientia media, quomodo acceptata fuerit a Semipelagianis licet; ea valde abusi fuerint

pro suis erroribus defendendis, præsertim ut defenderent gratiam Dei semper dari intuitu alicujus boni ex parte nostra saltem prævisi sub conditione. Sed tamen etiam ob aliam causam eam admiserunt, scilicet ut ea posita decreta Dei admitterent non ex natura sua efficacia, sed ex præscientia, quasi antecederent ipsam, et prævisionem nostræ liberæ voluntatis, dicebant libertatem nostram de medio tolli, quia divina constitutio humanas præveniret voluntates. Quid autem ad hanc secundam partem sententia Massiliensium responderit Augustinus cum ei fuerit proposita ista quæstio a S. Prospero, et an approbaverit modum istum conciliandi prædestinationem, seu decretum divinum supposita præscientia eorum, quæ nos facturi sumus, in articulo tertio dicemus.

XXII. Cæterum catholici et pii auctores his nostris temporibus expurgantes scientiam istam mediam ab illa priori parte sententiæ Massiliensium quæ erronea est, et non abutentes illa pro affirmatione seu defensione illius erroris, hanc secundam partem elegerunt pro concilianda libertate nostra cum efficacia voluntatis divinæ, et pro salvanda infallibilitate ejus, quia censent quod si omnino antevertit infallibilis causalitas decreti voluntatem nostram ante omnem præsuppositionem et prævisionem consensus ejus, periclitatur libertas. Unde recurrere necesse est ad præscientiam liberi consensus præsuppositam, ut decretum infallibile libertatem non lædat, et sic ponunt infallibilitatem totam sumi in divina causalitate ex præscientia.

XXIII. Hanc sententiam, primus his temporibus explicavit Molina, tum in commentariis ad primam partem tum in concordia sua. Videri potest I p. q. XIV, art. XIII, disp.

XVII, §. Triplicem scientiam, ubi sine ista triplici scientia, quarum una est ista media, periculose dicit nos hallucinari in conciliando libertate nostra cum divina præscientia. Videri etiam potest in concordia disputatio XLIV, membro ultimo, in impressione Venetiis 1602, super primam partem ad finem, in impressione autem concordie Ulyssipone 1588 habetur quæst. XXIII, art. IV et V, disp. I, membro ultimo ubi inquit. « Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, et prædestinatione sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quodque variis in locis tradidimus, inviti judicamus, quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani impudenter arbitrii nostri libertatem ausi negare, obtinentes cum divina gratia et prædestinatione coherere non posse, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio fuissent extinctæ. » Ita Molina qui inter principia, quæ pro ista concordia ponit ibi, unum est assertio hujus scientiæ mediæ. Quæ sane vel ex hoc ipso venit expungenda, quod tanto fastu, et commendatione sui introducta est, quasi ipsa sola tam importunas hæreses quales fuerunt Pelagiana et Lutherana potuisset impedire, Pelagianorum reliquias facile opprimere, turbationem ex Augustini opinione ortam sedare. Vides quantum ambulet in magnis et mirabilibus super se hæc sententia. Excidit nimirum hoc tam præsens antidotum adversus Pelagii venena, et Lutheri virus ab Augustini, Hieronymi, aliorumque patrum manibus, et ab

Ecclesiæ memoria, ut tales hæresum pestes præveniret; et quod Massilienses invenerunt, et Festus asseruit, et Prosper Augustino intimavit, gloriosissimus gratiæ Dei defensor Augustinus aut non intellexit, aut uti hoc remedio noluit, quo facile Semipelagianorum reliquiæ extinguerentur. Ergo tacite fateris opinione Augustini ac responsione ad Pelagianorum reliquias non ita facile occursum fuisse sicut explanatione tuorum principiorum, ac scientia media, cum tamen Ecclesia contra Pelagianos et Semipelagianos non alia doctrina utatur quam ea quam S. Augustinus tradidit, ut ex epistola S. Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ, et Hormisdæ ad Possessorem episcopum constat. Quis autem dicat Ecclesiam usque ad tempora Molinæ difficultate ista laborasse in respondendo Pelagianis et Semipelagianis? Nec dici potest Molinam solum explicasse quod implicite Augustinus et patres docuerunt. Nam ipse non solum dicit, si explanata fuissent illa sua principia, sed etiam si fuissent data; ergo supponit data seu concessa ab Augustino non fuisse. Et vere sic esse ostendimus articulo tertio et inconvenientia alia, si Augustinus hæc obscure explicavit, aut occultavit, expendimus articulo quinto. Qui potius non tacite, se aperte ipse Molina prædicat Augustini opinione tot fideles fuisse turbatos, et ad Pelagianos defecisse, quod malum (certe non modicum) hæc Molinæ principia felicissime, scilicet resecurunt.

XXIV. Quis hanc turbationem ferat in splendore illius solis, in quo tota Ecclesia couquiescit et serenatur? Respondeat tibi pro turbatione ista ab Augustini opinione excitata S. Prosper, ut hoc etiam tempore pro tanti patris defensione fidelissimus ejus sectator declamet. Cum enim in epistola ad Augustinum sæ-

pe citata scripsisset devenisse tunc temporis in manus suas librum de correptione et gratia, cujus eruditione et doctrina omnes querelæ resistantium putabantur sopiendæ: « Recensito tamen, inquit, hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ suæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo, instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ tenebantur obscuro, aversiores quam fuerant, recesserunt. » Ecce qui et quales ex Augustini opinione turbati sunt, illi videlicet qui persuasionis suæ tenebantur obscuro, non qui sanctam et apostolicam Augustini doctrinam sequebantur. Non ergo fidelibus turbationem injecit opinio Augustini sed ex obscuritate mentis suæ turbati sunt, qui ab eo discesserunt, ac proinde non indiguerunt fideles scientia media, ut turbatio eorum sedaretur, sed indiguerunt obscuritatis suæ, tenebrarumque discussione, ut Augustini lucem intuerentur. Quare graviter et serio eruditissimus et eminentissimus cardinalis Baronius, anno 490, num. xxxvi, recentiores auctores admonet quanto periculo a S. Augustino sententia recedent, ut novatorum hæreticorum errores expugnent: « Videant, inquit, quanto periculo quidam ex recentioribus dum in novatores insurgunt, ut eos confutent, S. Augustini sententia de prædestinatione recedunt, alioquin arma non desint, quibus adversarii profligentur. »

Hanc sententiam Molinæ de scientia media magno plausu, et unanimi consensu doctores societatis, iique insignes viri secuti sunt ad conciliandam nostram libertatem cum divinæ gratiæ efficacia, et infallibilitate decretorum ejus. In aliquibus tamen parumper inter se, et a Molina dissident. Primo, in eo quod Molina affirmat Deum hæc condi-

tionata futura contingentia et libera cognoscere insuper comprehensione, seu infinita comprehensione nostri liberi arbitrii, nec sufficere ad id, putat, comprehensionem, sed requiri infinitam eminentiam comprehensionis super rem comprehensam, ut talia conditionata futura certo cognoscat. Unde colligit Deum non cognoscere actus suæ voluntatis sub conditione futuros, seu ea, quæ ipse immediate per se decernit in hac, vel illa occasione, eo quod non excedit comprehensio sua infinita voluntatem suam. Et simili modo Angelus licet comprehendat voluntatem suam, non cognoscit quid in tali, vel tali occasione positus faciet, quia non supercomprehendit se. In hoc autem impulsus est Molina duplici de causa. Primo, quia existimat propositiones de futuro contingenti non habere in se, et prout a libero arbitrio determinatam veritatem, sed indifferentem, unde non possunt cognosci in se ipsis, sed in summa et maxima penetratione suæ causæ, id est, liberi arbitrii. Secundo, quia si non requireretur illa supercomprehensio, sed posset aliquis in comprehensione sui cognoscere sua futura decreta, et Deus ipse de sua voluntate cognosceret quid sub tali, vel tali conditione vellet, tolleretur libertas, quia jam non posset aliter velle, supposito quod jam esset certum et determinatum sibi quid vellet. Ita tenet Molina loco supra citato 1 part. quæst. xiv, art. xiii; disp. xvii. In hoc autem ei refragantur alii auctores ex eadem familia, qui oppositum sentiunt, licet Becanus Molinam sequatur tomo 1 summæ, c. x, quæst. ix. Refragatur tamen Suarez libro 11 de scientia condition. capit. viii, a num. xi; Herice hic disp. vi, capit. ii, num. xxx; Vasquez disput. lxxvii, et alii citati et secuti ab Alarcon, tractatu

de scientia Dei, disput. iv, cap. viii.

XXV. Secundo, dissentiunt, quia aliqui omnino negant scientiam hanc mediam succurri ab aliquo decreto Dei absoluto ex parte actus divini ut cognoscat futura conditionata, ut ex Vasquez sequitur prædictus Alarcon citato loco, cap. vi, num. ix. Alii concedunt aliqua futura conditionata cognosci in decreto divino absoluto, et sic per scientiam simpliciter liberam cognosci, ut concedit Ruiz disp. lxxi, sect. viii, ut ipsi improbat Alarcon nuper citato loco, et conditionata disparata exigere ad sui cognitionem aliquod decretum Dei, docet p. Arrubal hic disput. xlv, capit. iv, et alii de quo sequentibus articulis.

XXVI. Tertio, dissidium est circa hanc scientiam an sit vocanda scientia media, an absolute reducenda ad aliquod extremum. Quæstio est de nomine. Potest autem dici media, vel inter scientiam visionis, et simplicis intelligentiæ, quia nec est intuitiva videns rem præsentem, nec abstractiva solum attingens quidditatem, sed etiam rei existentiam, licet sub conditione, et non absolute futuram. Potest secundo dici media inter liberam et necessariam, quia non est necessaria, cum ejus objectum sit liberum, et pendens ex libertate nostra, possetque oppositum illius veritatis fieri posita etiam conditione. Nec est libera quia antevertit omnem liberum actum Dei, et sic necessario illi convenit. Et in hoc secundo sensu præcipue scientia hæc dicitur media, sed aliqui ex defensoribus ejus simpliciter eam mediam vocant, ut Molina supra citatus disp. xvii, et in concordia, disp. lii, et Herice hic disp. vii, cap. x, n. lxxv; Alarcon, disp. v, cap. iii, num. viii, citatque Ruiz, disp. lxxvi, sect. iii, et alios. Alii reducunt illam ad

scientiam visionis, ut Suarez libro II de scientia futura, c. III : alii ad simplicem illam devolvunt, ut Vasquez disp. LXVII, n. XXVII ; Lessius libro de auxiliis, capit. XIX ; Bellarminus lib. II de amissione gratiæ, cap. XVII, et alii.

ARTICULUS II.

Deum cognoscere certo futura conditionata libera.

I. Ut veritas ista eluceat, et si quid in hoc aliquando dissidii inter auctores fuit non tam in substantia fuisse constet, quam in modo, supponenda sunt duo. Alterum est varios esse horum conditionalium sensus, nam aliquando solum significatur in conditionali vis consequentiæ, aliquando pura concomitantia, aliquando aliqua causalitas, vel conducentia ipsius conditionis oppositæ ad effectum, licet non sit infallibilis connexio et consequentia. Et ex hoc resultant diversæ veritates conditionalium. Primo modo conditionalis non respicit veritatem extremorum, sed illationem, et eam denotat illa particula si, ut cum dico : Si sol lucet dies est, lysi subrogatur loco particulae ergo, perinde ac si dicas : Sol lucet, ergo dies est, quasi ex præsuppositione, non ex assertione antecedentis procedens, et sic illatio non ex affirmatione seu determinatione antecedentis, sed ex suppositione procedens per conditionalem illativam explicatur, ideoque potest talis conditionalis formari etiam ex extremis impossibilibus, et tamen conditionalis ipsa vera erit, id est, illatio recta et bona, in illatione enim ejus veritas consistit, ut si dicas : Si homo esset equus esset hinnibilis, si homo haberet alas volaret, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab

illo. Et de talibus conditionalibus intelligitur illud dictum : Quod omnis conditionalis, vel est necessario vera, vel necessario falsa, quia si sumitur in vi illationis, vel illatio est recta, et sic semper et necessario est vera, id est, bene illativa, quia ejus veritas solum in recta illatione consistit, vel est semper et necessario falsa, id est, male illativa, quia ejus falsitas in indèbita illatione consistit. Et hæc est sententia S. Thomæ de veritate conditionalium multis in locis, ut VI metaph. lect. IV, quæst. III de potent. art. VI ad XXXI, I contra gent. capit. LXVII et I part. quæst. XXV, art. III ad II.

II. Secundo modo dicitur conditionalis secundum puram concomitantiam, qualia sunt conditionata disparata, id est, quando inter conditionem et effectum consecutum nulla datur causalitas, et connexio, sed solum significatur quod utrumque simul verificabitur, et concomitanter existet, ut si dicas : Si papa dormit, imperator fugit ; si Turca ambulat, Petrus ridet, et alia similia, in quibus particula si nullam denotat causalitatem, vel illationem, sed puram concomitantiam, seu coexistentiam, et ita potius æquivaleret copulativæ quam conditionali, quasi dicas : Turca ambulat, et Petrus ridet, seu simul cum Turca ambulat Petrus ridet.

III. Tertio modo conditionalis significat aliquam causalitatem seu conducentiam inter conditionem et effectum secutum, non explicando solum bonitatem illationis et consequentiæ, sed connexionem antecedentis, et consequentis, quatenus antecedens, quod ponitur per modum conditionis aliquam inclinationem, vel conducentiam, aut causationem importat ad id quod ponitur per modum consequentis, sive talis conducentia et causatio sit infallibilis, et certa, sive contingens, proxi-

ma vel remota, ut hæc conditionalis est infallibilis : Si femina parit naturaliter, non erit virgo ; hæc est probabilis ; si Maria habet filium ; diligit illum ; hæc est contingens : Si Petrus vadit ad domum pontificis, negabit Christum ; hæc est dubia : si Joannes mercaturam exercet, lucrabitur multas pecunias. In his omnibus particula si non ponitur ad explicandum solam bonitatem illationis, et consequentiæ, et quasi vim seu formam prioristicam argumentationis virtualiter in conditionali implicitam, sed ad explicandam ipsarum veritatum connexionem, quæ est materia posterioristica in illis illationibus, seu conditionalibus. Unde, quia materia antecedentis, et consequentis, et connexio illativa unius ex alio aliquando est dubia, aliquando contingens vel probabilis, aliquando certa, ideo aliquando conditionalis explicat connexionem seu conducentiam istam certam, aliquando dubiam, vel probabilem ex se. Unde ut in talibus conditionalibus contingens, et dubiis inveniatur connexio, et veritas certa et determinata, non est nisi duplex via, vel quia ipsa veritas conditionalium ex se determinata est, sicut et veritas cujuscumque futuri contingentis, vel quia ab aliqua causa extrinseca sumunt infallibilitatem quatenus illi subsunt, nec est alia quam divina voluntas, quia talis veritas in se contingens est, et posset in oppositum verti, unde debet reduci ad causam, quæ in se infallibilis existens, contingentium veritates statuit. Et sic qui ponunt independentem a voluntate divina illas veritates reddi certas et determinatas, pro fundamento habent quod omnium futurorum veritates etiam contingentium de se determinatæ sunt. Qui oppositum sustinent, determinationem veritatum futurarum ex se ipsis negant in futuris

contingentibus, sed solum id docent habere ex prima omnium futuritium, quæ est voluntas divina libera.

IV. Alterum quod supponimus est, quod etiam ex dictis in præcedenti articulo manifeste constat, refugisse quosdam auctores concedere Deo simpliciter notitiam conditionalium contingentium, vel quia solum considerabant conditionata in vi consequentiæ et illationis, vel quia negabant Deum habere decreta de facto circa omnes combinationes, quæ de rebus possibilibus sub conditione fieri possunt, id enim otiosum ac superfluum videtur, licet aliqua decreta circa aliqua conditionata habuerit, quæ in Scriptura expressa sunt, vel ad hujus universi regimen, et providentiam spectant : vel denique, quia datis et concessis his decretis absolutis ex parte Dei, et conditionatis ex parte objecti, non cognoscerentur conditionata illa, nisi per modum absoluti, et per modum visionis, eo quod viderentur in decreto absoluto et præsentem, et consequenter per medium et modum absolutæ visionis, a medio enim per quem res videtur, sumitur ratio ipsa videndi.

V. Cæterum nos in præsentem non agimus de modo talis scientiæ, et quomodo denominetur, et an sit visionis absolute loquendo, vel libera, de his enim denominationibus postea agemus, tractando quomodo sit, vel non sit media ista scientia, et quomodo appellanda. Nunc solum attendimus ad puram et solam cognoscibilitatem istorum conditionalium, et intendimus quod ex eo quod sint in statu conditionato, ita quod non sint futura absolute et de facto, nec sint in sola consideratione, et statu puræ possibilitatis, sed cum ordine ad existentiam sub conditione, ex hoc solum non debent amittere cognoscibilitatem, sed co-